



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE QUAE PER ORBEM **TEMPLUM SANCTI PATRICII,**
MARIANOPOLI EXTANS,

AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Quae per orbem terrarum praecellunt tum arte sacra tum christianae vitae vigore templa ac sacella catholicorum ipsa, secundum perantiquam huius Sedis Apostolicae consuetudinem peculiaribus consueverunt titulis insignibusque exornari quo clarius circumcirca agnoscantur ac fructuosius etiam piis a fidelibus adeantur. Porro resciscere Nobis ex litteris huc a Venerabili Fratre Nostro S. R. E. Paulo Cardinali Grégoire redditis placuit inter sacras aedes Archidioecesis Marianopolitanae, quam viginti iam annos laudabiliter gubernet, paroeciale templum Sancti Patricii sacrum recenseri, cum praecipua quaedam sedes emineat concursus ipsius fidelium et musicae sacrae et cotidiani apostolatus. Quoniam idem ergo memoratus Praesul rem salutarem fore frugiferamque in posteros annos est testificatus, si ceteris huius ordinis templis archidioecesanis accesserit pariter Sancti Patricii sacellum tamquam Basilica Minor, idque liturgicum a Sede Apostolica decus et ornamentum prolatis rationibus certis efflagitavit, nihil dubitandum esse censemus quin consilium eiusdem Ordinarii Archiepiscopi optatumque solidum convertatur in effectum. Audita propterea hac de re Congregatione pro Cultu Divino ex apostolicae plenitudine Nostrae potestatis harumque Litterarum vi statuimus ac decernimus ut ad condicionem provehatur dignitatemque Basilicae Minoris sacra Sancti Patricii aedes intra Archidioecesis Marianopolitanae fines cui eodem tempore universa adiungantur iura ac privilegia quae reliquis per terras sanctuariis illius status altioris conveniunt, dummodo singula diligenter adserventur quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII editum adservari iubet. Contrariis quibuslibet causis neutiquam obsistentibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Decembris, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana
